



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Contra seculares, interdicentes suis subditis, ne civilia & necessaria
commercia cum Clericis habeant, seu solita obsequia eis exhibeant. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

focarias & Concubinas & mulieres suspectas, in domibus suis, & extra domum in Parochia, publice habentes, provitum existat: quia tamen, succrescente malitia temporis moderni, labes hujusmodi criminis in Ecclesia Dei in tantum inolevit, quod scandala plurima in populo sunt exorta, & verisimiliter exoriri poterunt in futurum, & ex fide dignorum relatione percepimus, quod quidam Ecclesiarum Prælati, & alii, etiam Capitula, ad quos vel ad quem immediate correctio conjunctim vel divisim ex statuto seu consuetudine dinoscitur pertinere, obtentu commodi temporalis, vel ex negligentia, tales in suis iniquitatibus sustinuerunt & sustinent: Ideo, hoc sacro Provinciali Concilio approbante, monemus omnes & singulos Ecclesiarum Prælatos, & alios quoscunque Nostræ Provinciæ, etiam Capitula & Collegia, ad quos vel ad quem hujusmodi Presbyterorum, Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum ac Beneficiatorum, & aliorum correctio conjunctim vel divisim immediate spectare dinoscitur, quatenus intra sex septimanarum spatium, post præsentium statutorum Provincialium publicationem, moneatis in specie & nominatim sub pœna juris, & aliis maxime formidabilibus, omnes & singulos Presbyteros & Clericos in sacris Ordinibus constitutos, ut intra novem dierum spatium post hujusmodi monitionem eis factam, quorum dierum tres pro primo, tres pro secundo, & reliquos tres pro tertio & peremptorio termino præfigimus, suas focarias seu Concubinas à se removeant, & ipsas ab eorum cohabitationibus & à Parochia penitus expellant, ipsas vel alias minime in eorum habitationibus & Parochia admitturi; alioqui inobedientes, ab Officiis Divinorum suspendant; & si protervitas eorum hoc exegerit, Beneficiis suis priventur. Et, si Prælati & aliqua etiam Capitula, ad quos Correctio præscriptorum immediate conjunctim vel divisim pertinere dinoscitur, præscriptos Concubinariorum effectualiter non correxerint, ita quod ipsi præscriptas mulieres à se & Parochia non removeant cum effectu vel animo, aut alias in eorum habitationes vel Parochias resumpserint; & præscripti Prælati & Capitula tales Presbyteros vel Clericos, Beneficiatos vel non Beneficiatos, in suis iniquitatibus per spatium sex septimanarum sustinuerint; ex tunc volumus quod correctio talium Presbyterorum & Clericorum, Beneficiatorum & non Beneficiatorum, ad Diocesanos locorum plenarie devolvatur. Et, si Diocesani locorum per sex spatium mensium hujusmodi delicta reliquerint incorrecta, cum ex tunc possint notari de negligentia, volumus & statuimus, quod ex tunc illorum delictorum & delinquentium correctio ad Nos libere devol-

vatur; non obstantibus quibuscunque pactis, consuetudinibus seu statutis. Inhibemus etiam, ne Beneficiati prædicti filios aut filias vel Concubinas dorent aut ditent de patrimonio Crucifixi, aut talium nuptiis vel etiam exequiis audeant interesse: & qui contra fecerint, pœna Canonica percillantur.

II. *Contra seculares, interdicentes suis subditis, ne civilia & necessaria commercia cum Clericis habeant, seu solita obsequia eis exhibeant.*

Item, licet per sacros Canones sit provisum contra obtinentes temporale Dominium, interdicentes suis subditis, ne Prælati aut Clericis seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, vel emant aliquid ab eisdem, neque ipsis blada molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, cum talia in derogationem Ecclesiasticæ Libertatis præsumantur: quia tamen persæpe Univeritates Civitatum, oppidorum, villarum & aliorum locorum, nec non Collegia, Societates, seu corpora Ministeriorum seu Officiorum mechanicorum, præscriptis similia & interdum majora committunt, & contra tales provisum est: Ideo statuimus & ordinamus, omnes & singulos, ad hoc opem, consilium, auxilium, vel favorem præbentes, Excommunicationis sententiam incurrere ipso facto. Et, quia per præmissa providimus Clericis contra Laicos, volentes etiam providere Laicis contra Clericos, quod ipsis Laicis de Clericis conquerentibus, ab ipsorum Clericorum iudicibus fiat justitia expedita.

III. *Officialis, in causis Appellationum à Suffraganeis, servabit iura communia.*

Item statuimus, quod Officialis Noster Coloniensis, qui fuerit pro tempore, in causis Appellationum, quæ ad curiam Nostram ab Audientia Suffraganeorum Nostrorum seu eorum Officialium devolventur seu hætenus sunt devolutæ, servet iura communia, & maxime illa, quæ introducta sunt per felicis rec. Innocentium Papam IV, quæ hodie sunt inserta libro sexto Decretalium. Alioqui ipsum Officiale Nostrum ab Officio suspendimus.

6. Romanis. de a. p. in 6.

IV. *Contra abrogantes pias & laudabiles consuetudines.*

Item, cum præsumptuosa quorundam dominorum temporalium, Iudicum, Scabiorum, Consulium, Universtatum, Civitatum,